



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

XXVI. Epistola Anatolii Episcopi Ad Leonem Imperatorem. Piissimo & Christianissimo imperatori Augusto, victori ac triumphatori, Leoni, Anatolius Constantinopolitanus episcopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ANNO
 CHRISTI
 451.

*pestilen-
 ter obscu-
 rat,

tyranno Alexandrinam ecclesiam (in cuius contritione omnium Christianorum est iniuria) liberare? Vt autem pietati tuæ literæ meæ colloquium quasi præsentis exhibeant , quidquid de communi fide fueram suggesturus , scriptis prosequentibus insinuandum esse perspexi: ac ne huius epistolæ pagina in nimiam longitudinem tenderetur , aliis literis quæ assertioni catholicæ fidei congruunt , comprehendi: vt licet ea quæ a sede apostolica sunt prædicata , sufficerent , insidias tamen hæreticorum etiam hæc quæ sunt adiecta , referant. Sacerdotalem namque & apostolicum tuæ pietatis animum etiam hoc malum ad iustitiam vltionis debet accendere , quod Constantinopolitanæ ecclesiæ puritatem * pestilentem obscurant , in qua inveniuntur quidam clerici , hæreticorum sensui consonantes , & intra ipsa catholicorum viscera assertionibus suis hæreticos adiuuantes. In quibus deturbandis si frater meus Anatolius , cum nimis benigne parcat , segnior inuenitur; dignamini pro fide vestra etiam istam ecclesiæ præstare medicinam , vt tales non solum ab ordine clericatus , sed etiam ab vrbis habitatione pellantur , ne vltcrius sanctus Dei populus peruerforum hominum contagio polluat. Cultores autem pietatis tuæ , Iulianum episcopum & Aetium presbyterum mea petitione commendo , vt suggestiones eorum pro catholicæ defensione fidei placide digneris audire : quia vere sunt eiusmodi , vt fidei vestræ possint per omnia vtilis inueniri. Data Kalendis Decembris, Constantino & Rufo viris clarissimis consulibus.

XXVI.

EPISTOLA

ANATOLII EPISCOPI

AD LEONEM IMPERATOREM.

*Piissimo & Christianissimo imperatori Augusto, victori
 ac triumphatori, Leoni, Anatolius Constantinopolitanus episcopus.*

ORATIONI siquidem nostræ opus est, Christianissime & fidelissime imperator, vt non circa meditationem a diabolo peruenientium rerum contra communem ec-

clesiarum pacem occupemur. Quia vero, sicut apparet, aduersarius non sinit presentem sine fluctuatione nauigare nos vitam, necesse est supernae gratiae gubernaculo vobis oportere nos omnes qui Deo auctore sumus in sacerdotio constituti, illius certaminibus obuiare. Vnde etiam nunc in his quae sunt praesumpta in Alexandrinorum ecclesia, non quieui, sed sequens vestrae Christianae tranquillitatis intentionem, volentem & sanctorum patrum regulas non sperni, & ciuilia iura seruari, quod me facere congruebat, scilicet sedem gubernantem huius regiae ciuitatis, egi: & haec manifesta vestrae pietati fient per ea quae scripsi tam Romano sanctissimo & venerando Leoni pontifici, quam omnibus vniuscuiusque dioecesis venerabilibus metropolitanis episcopis, apud quos ingemui petulantiam contra sanctorum patrum regulas perpetrata, & facta scelesti Timothei, sicut accusationes aduersus eum vestrae pietati & nobis scriptae testantur, qui conculcauit ecclesiasticas sanctiones, legesque ciuiles, quique secundum quod scriptum est, malam potius partem libenter elegit, & quae illis quae in rebus decentibus deficiunt, commodatur. Ait enim: *Impius dum ceciderit in profundum malorum, spernit.* Significauit nihilominus eis & de sancto beatoque nostro Concilio Calchedonensi, quae digna sunt. Ergo quoniam aliis haec conuenienter exposui, pronior nunc extiti, ut cum fiducia clarius de rebus praesentibus meam possim publicare sententiam. Notum igitur facio vestrae tranquillitati, quod piissimis vestris syllabis a nobis fieri praecipistis, quia constituo Timotheum quidem, quantum ad integritatem sanctorum Canonum, aduersum quos semper ea quae gessit & gerit, haecenus irritauit, in ordinatione sacerdotii nullatenus esse dignum. Quomodo enim sacerdos erit, qui ita a proprio pontifice, & ab omnibus totius orbis sacerdotibus sponte semetipsum abruptit, & haereticum per omnia demonstrauit, dudum se a sancto & famosissimo Calchedonensi Concilio separando, & reuerendissimos episcopos Aegyptiacae dioecesis, & clericos, nec non & orthodoxorum multitudinem, & monachorum catholicae fidei & ipsi vniuersali Concilio communicantium, veluti haereticos ab ecclesiis propriis expellendo; insuper & aliarum
multa-

Proverb. 18.

ANNO
CHRISTI
475

multarum malarumque rerum auctor existens, sicut accusationes aduersus eum oblatae proclamant? De Calchedonensi vero sancto & vniuersali Concilio hoc aperte pronuntio, quia tentare omnino retractare aliquid eorum quae ab eo definita sunt, hominum est insidantium solummodo catholicae ecclesiarum Christi concordiae, congaudentium turbis atque tumultui; quando apostolica quidem & paterna dogmata olim nobis tradita, in eo roborata sunt & affirmata: nullum autem dogma rectitudini ecclesiasticae contrarium illic peregrine aut nouiter est probatum. Illa siquidem Deo amabilis ac venerabilis Synodus, ex imperiali tunc sanctione celebrata ad peremptionem scandalorum quae tunc contra fidem intemeratam videbantur exorta, non aliam innouauit fidem, non peremit antiquitus existentem, non adiecit aliquid olim confessioni contradictae, non imminuit eam quae semper custoditur & saluat: sed trecentorum decem & octo sanctorum patrum symbolum incontaminabile & inuiolabile a domesticis fidei custodiri, & eis qui imbuuntur ab impietate cum terrore tradi praecipit. Nec non & Synodos sanctas & orthodoxas, post illam maximam, ei consonas existentes, & pro illius confirmatione diuersis temporibus celebratas, recte probauit, & solummodo, sicut diximus, semen zizaniorum tunc ortum exterminauit, ne vlla ex hoc malitiae radix per eos qui inerudite contendunt, denuo pullularet, & puram intemeratamque nostram fidem in aliquo noceret, quatenus ab hoc aliqui simplicium foedarentur. Nunc igitur famosissime & fidelissime noster princeps, insertae tibi iustitiae congruit sancire, ne quorundam mala voluntas, seu haeretica prauitas, cuncto orbi terrarum & omnibus Christi sacerdotibus vnitis secundum Deum & pacem habentibus, vexationis communis & contritionis fiat occasio, & sacris Canonibus suum robur contra Timotheum spernentem eos, per nos demonstrantibus decernere, vti quae necessaria sunt, vt per vestrae pietatis imperium, sicut in illis quoque contra talium rerum praesumpta prouenire sancitum est, haec secundum legum seueritatem effectui contradantur, ad vindictam contemptarum ecclesiae sanctionum, & innoxii sanguinis, hoc est, sanctae memoriae Pro-

terii orthodoxi Alexandrinæ ciuitatis episcopi, sicut visum fuerit pietatis vestræ tranquillitati, Christianissime ac fidelissime imperator Auguste, immaculata & intemerabili dextera.

XXVII.

EPISTOLA EPISCOPORVM EVROPÆ,
AD LEONEM IMPERATOREM.

Prorecto, pio & Christianissimo domino totius orbis terrarum, & imperatori perpetuo Augusto Leoni, Ioannes reuerendissimus Heracleæ, Theophronius episcopus Aphrodisiadis, Theotecnus episcopus Cyclensis, & Babulas episcopus nouæ Theodosopolis Europæ vestræ.

P IETATIS vestræ & Christianitatis imperium clarius purpura atque diademate pro fidei causa lucet. Vere namque piissime & Christianissime imperator, leo quidem contra hostes existis, circa mites autem & subditos, mansuetissimi Dauid imitator agnosceris, quippe diuinitus adeptus imperium. Eodem namque modo etiam eos qui inordinati videntur, & contra sanctas regulas semetipfos armauerunt, & seditiones impias & scelestas arripiunt, imperiali auctoritate comprimitis, & de mundi quiete cogitantes, incommotas & sine fluctibus sanctas vbiq; conseruatis ecclesias. Præstet igitur omnium Dominus Christus vestrum imperium indeclinabiliter confessionem fidei conseruantem, longæuis annorum curculis sanctorum intercessionibus permanere. Sacras igitur & Christianissimas literas a vestra tranquillitate directas cum multo studio relegentes, in quibus præcepistis nobis clarius explanare, quid de sancto magnoque & vniuersali Calchedonenſi Concilio sentiamus, & de Timotheo, quem Alexandrinorum populus sibimet ordinauit episcopum; per hanc humilem nostram relationem vestræ pietati significamus, quomodo cunctis sanctissimis orthodoxisque Conciliis & concordamus & consentimus. Primum quidem dogmata & expositionem trecentorum decem & octo sanctorum sequimur patrum, eorumque fidem indeclinabiliter custodimus, in quam etiam baptizati sumus & baptizamus. Post quos, centum